Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1357
Quelle:
Copyright:

norum Theologiae, cujus initium: *Cum dificultas verbalis multum impedit animum a speculatione veritatis in illa scientia pocius quam in alia que in se ipsa plus continet subtilitatis, vtile est terminos distinguere* &c. Ita deinceps expenduntur: *Frui, Uti, Abuti. Vestigium. Imago. Hypostasis. Propria. Appropriata. Prioritas. Alietas* &c. Ad calcem: *Scriptum per fratrem Georium lechel. Explicit tractatus de terminis Theologicis.*

II. *fol.* 5. absque Titulo *Compendium Theologicae Veritatis Hugonis de Argentina*, ut diximus ad *Codd.* CCCXX. et seqq. Initium: *Veritatis Theologice sublimitas cum superni sit splendoris radius* &c. Ad calcem Index Capitum.

III. *fol.* 193. Expositio *Evangelii secundum Lucam* scholis, ut videtur, adcommodata. Habet *Praeambula* III. quorum I. incipit: *Facies bouis vituli a sinistris eorum quatuor. Ezech. primo cap. Sanctus propheta Ezechiel quatuor pennata animalia vidit* &c. et Visionem Prophetae declarat. II. agit de veritate et consensu Evangelistarum, hoc initio: *Vocabulum ewangelij interpretatur literarie bonus nuncius* &c. III. *Lucae* Vitam enarrat: *Lucas syrus nacione Antiocensis* &c. Expositio ipsa abrumpitur in C. IX. v. 12.

IV. *fol.* 232. Ventilantur Quaestiones subsequae: *Quare christus nominetur filius David, et quare de eo voluit nasci cum fuerit enormis peccator? Vtrum Curiositas sit vicium? Vtrum Observatio sortis pro euentu futuro sit licita uel superstitiosa?*

V. *fol.* 234. Sermo ad Academicos de Assumtione B. V. M. in illud: *Maria optimam partem elegit. Luc.* X. Initium: *Viri clarissimi. doctores egregij magistri illuminati — Cum sancta militans ecclesia sanctorum angelorum recolat uictoriosum triumphum* &c. Habitum fuisse cum reliquis infra secuturis in Academia *Vien.* vix dubium.

VI. *fol.* 241. *Augustinus de uita christiana.* Initium: *Ego augustinus primus peccator et ultimus* &c. Vide *Indicem.*

VII. *fol.* 251. *Augustinus de bono consciencie.* Initium: *Domus hec in qua habitamus ex omni parte sui ruinam nobis minatur* &c. Scribendum erat: *De Domo Conscientiae.* Adi *Cod.* CCXLI.

VIII. *fol.* 274. *Moralis philosophie Fundamentum compendiosum.* Ita ad marginem inferum Opusculi, quod incipit: *Aristoteles 2°. elencorum. Ignorantes virtutes vocabulorum de facili paralizantur* &c. Haustum est ex *Aristotelis Ethicis*, et subscribitur: *Per leonardum pray cursorem Theologie Anno MCCCCLXII.* quem Autorem habeo.

IX. *fol.* 286. Sermones IV. ad Academicos *Viennenses.* I. in illud: *Accipite armaturam dei. Ephes.* 6. Initium: *Patres prestantissimi — Sanctorum omnium nunc solemnitate gaudiosissima iocundamur* &c. Ad marginem inferum: